

/ Illustrissime ac Reverendissime princeps ac Dñe ,Dñe clemen-  
tissime.

Ante tres annos dùm ex coll<sup>o</sup> Ger<sup>co</sup> in patriam redire cogita-  
rem, à S.D.N. fel.record.Clemente VIII facultate legendi libros  
5 prohibitos et absolvendi ab haeresi aliisque casibus ad triennium  
ornatus fui, prout ex literis R<sup>mo</sup> mei episcopi Wratisl. ad Ill<sup>m</sup> D.  
Card.Baronium simulque ad Ill. et R<sup>mam</sup> Cels.v<sup>ram</sup> nuper missis,  
Cels.V. constare poterit. Quae facultas mihi hic in cathed. con-  
cionatoris munere fungenti, adeò necessaria fuit, ut si illa caru-  
10 issem, parùm aut nihil emolumenti in meos auditores praesertim  
haereticos Calvinistas derivatum fuisset. Quocirca Ill<sup>mam</sup> et R.  
Cels. V. summopere rogatam volui, maxime etiam pro ea benevolentia  
qua semper erga meum avunculum, Bonaventuram Han olim legitime e-  
lectum episcopum Wratislaviensem affecta fuit, mihi huius gratiae  
15 à S<sup>mo</sup> D<sup>mo</sup> Clemente Pont<sup>e</sup> concessae, à moderno S.D.N. ad aliquot a  
annos renovationem impetrare non gravetur. Quod si obtinuero ab  
Ill. et R<sup>ma</sup> Cels.V<sup>ra</sup>, maiorem occasionem in vinea Dñi laborandi  
habebo, Deumque pro felici incolumitate Ill. Cels.v<sup>rae</sup> exorare  
perpetuò magis ero obstrictus. His Ill.Cels.V. Deo Opt.Max. in  
20 coll<sup>o</sup> Ger<sup>co</sup> verò consobrinum meum Michaëlem Hiltprandum, favori  
Ill. Cels.V. quo aliquando in ecclesia beneficio ecclesiastico po-  
tiri possit per Ill. D. Card. à Dietrichstein cui S.D.N. modernus  
potestatem conferendi beneficium dedit, commendo. Datum Wratisla-  
viae 21 Octob. A<sup>o</sup> 1605.

25 Ill<sup>mae</sup> et R<sup>mae</sup> Cels. V<sup>rae</sup>  
Humillimus Capellanus  
Greg<sup>s</sup> Bernitius  
Can<sup>cus</sup> Wrat.

Berlin. A

Autographes.

Photogr. in Arch. P. U. S.